

1686

0056

Calixtus, Georg

15 handschriftl. n. Disputationen



Henricus Be.


Anno 1682


cui constat 36 gl.


P. VII. 84.





Promptuarium Biblicum ad
Pauli Crelly. Von M. Daniele Fesole in
Vruch gedruckt.











4 270
THESES
DE CORPORE
ET SANGVINE DOMINI
REAPSE PRÆSENTIBVS IN
SANCTISSIMA EVCHA-
RISTIA,

QUAS
SUMMI NUMINIS ADSPI-
RANTE GRATIA

SVB PRÆSIDIO

GEORGI CALIXTI

S. THEOL. D. ET PROF.


HODIE PRORECTORIS

PVBLICE IN ACAD. IVLIA

EID. APRIL. DISPVTANDAS

PROPONIT

BRANDANVS DÆTRIVS
HAMBVRGENSIS.



Helmæstadij,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO EXCVDIT
HENNINGVS MVLLERVS.

CID IDC XXXVI.

THESES
DE CORPORA

DE VITAE DOMINI
SANTISSIMA EVOCHA
RISTIA

DE VITAE DOMINI
SANTISSIMA EVOCHA
RISTIA

GEORGI CALIXTI
S THEOPHILUS PRO
HONORIS PROTECTORIS

BRANDENBURG
SANTISSIMA EVOCHA
RISTIA

IN THEOPHILUS
SANTISSIMA EVOCHA
RISTIA

HENNINGUS MULLERUS
MDCCLXXXV





DE CORPORE ET SAN-
G VINE DOMINI REAPSE PRÆ-
SENTE IN SANCTISSIMA
EVCHARISTIA

Thesis I.



Vod nunc exercitationi nostræ ar-
gumentum delegimus, ut illustrem in-
ter Christianæ religionis mysteria lo-
cum tuetur, ita simplicitate maximè
gaudet, nec uberes sibi explicando com-
mentarios petit, sanctis modò Scriptu-
ræ tabulis nudè illud proponentibus vis non infera-
tur sensusq; arcessatur alienus.

II. Cæterum quò castiore & planiore diuinum
hoc mysterium sermone fuit promulgatum, eò pluri-
bus interpretandi modis & significationibus obnoxii-
um fecit atq; adulteravit importuna curiositas; vt jam
paucis pagellis exhiberi amplius vix queat.

III. In singulas quidem de eo secus opinantium
partes inquirere, res non nostri modò laboris erit vel
otii. Pro temporis igitur & loci angustia eos saltim in
præsentiarum aduocatos huc volumus, qui Caluini
ductum & sententiam sectantes veram corporis & san-
guinis Christi in ejus cœnâ præsentiam tollunt & in-
ficiantur, Pontificiis cum suis tantisper scitis ac placi-
tis aliò amandatis.

A

IV. A

DE CORPORE ET

IV. A re verò ipsâ ritè ordientibus sacram Iesu Christi cœnam hunc in modum siue definire siue describere lubet, quòd sit actio à Domino nostro & Seruatore morti suæ proximo instituta, quâ modo humanas mentes prorsus excedente cum benedictò pane & vino verum substantiale corpus & verus substantialis sanguis Christi Filij Dei accipitur, editur & bibitur, ut ita intimè & indistanter per esum potumq; nobis iuncto corpore, quod traditum, sanguine qui effusus est pro nobis, efficacissima instituatur mortis Domini commemoratio, & hac ipsa fides fideiq; pedissequa caritas, quàm maximè acuantur & roorentur.

V. Quæ quidem omnia sedem ac fundamentum suum inueniunt in ipsis Christi verbis & institutione, à quâ tota norma, ad quam Sacramentum exigatur, meritò desumitur, & quidquid de eo cognosci potest, vnicè dependet.

VI. *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, inquit Seruator noster de pane: & de calice siue vino; bibite. hic est sanguis meus.* Clarissima hæc Christi dicta examen declinare potuerunt per annos octingentos, quibus antiqua ecclesia simplicis pietatis obseruantissima religiosâ fide amplexa illa & venerata fuit.

VII. Postmodum, vbi & priscae simplicitatis & praxeos fastidium obrepfit, non contenti amplius Christi effato adhærere, modum quoq; indagare, & accuratè, quâ ratione Dominus & Seruator noster, quod affirmavit & promisit, effectum daret, scrutari & explicare conati sunt. Quæ siue temeritas siue curiositas fenestram aperuit tot opinionum in ecclesiam postea inuectarum diuersitati.

IX. Alii hodiernæ transubstantiationi fundamentum struentes, imprimis dignitati sacerdotum vefifican-

SANGUINE DOMINI

272

lificantes, corpus Domini sensualiter, non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelibus dentibus atteri dicitur. Id enim confiteri iussus est Berengarius, ut discimus è can. 42 distinctionis secundæ de Consecratione. Alij, qui modo huic nimium crasso ferendo non erant, rem factam putabant, si modos inuenirent subtiliores. Sed & hos, quâ imbecillitate homines sumus, in vitium duxit culpæ fuga. Qui enim crassarum istarum opinionum patronis contrauerunt, omnes ferè veram Christi in cœnâ præsentiam sustulerunt. Scyllam scilicet naufragam metuentes, non minus periculosam ex aduerso latere Charibdin incurrerunt.

IX. Ipsam certaminum historiam pagella ista non capit. Quomodo & quo auctore pugna hæc sub ipsa reformationis exordia in Saxoniam recruduerit, verbo notasse sit satis. Ita autem illud exponit Philip. Melanchthon in epistolâ ad Frid. Myconium, quæ visitur in vestibulo libelli complectentis sententias Patrum de Eucharistiâ VVittebergæ editi. *CAROLSTADIVS* excitauit primum hunc tumultum, homo ferus sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animaduertimus, tantum abest, ut ab eo significatio aliqua spiritus sancti animaduersa sit, imò exstant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat *isdaï* *zav* *ngi* *suoid* *zav*, damnabat omnes leges ab Ethnicis conditas &c. Controuersiam de cœna Domini tantum odio Lutheri, non aliquâ pietatis opinione mouit. Etenim cum eius noua *zav* ipsius à Luthero improbata esset, cepit iste inflammatus immani cupiditate vindictæ querere causam vendibilem, quâ Lutheri existimationem prorsus obrueret. Bona pars Germaniæ testari potest, nihil me hac in re fingere. *Quantum*

DE COA PORE ET

quam si testibus opus sit, libelli ipsi aduersus autorem dicent certissimum testimonium. In his apparet, hominem ne ratione quidem aliquâ in specie probabili motum esse ad scribendum: quàm suauiter nugatur de demonstratione vocis & quod affert ad causam tantam Ecclesie veteris aut vllius magni auctoris testimonium? quæ vox est in tota disputatione, in qua sit aliqua pietatis significatio? tantum vociferatur, ut nunc solent homines Bæuæ voci inter pocula, qui nullis fabulis nisi maxime prophanis delectantur, adhuc magnam librorum partem consumit in conuitiis, & homo insulsus studet etiam urbanitatis laudem auferre. Quis tam imparatus ad tantam causam accedit, is ostendit se aliquâ cæca cupiditate precipitem ferri, non mone-ri ratione, aut studio pietatis, atq; hic est fabula πρωταγογισης. Hæc Philippus.

X. Eodem tempore ejusdem cum Carolstadio opinionis patroni & auctores in Heluetiâ exstitere Zvinglius, & Oecolampadius. quos sequuti sunt Calvinus, Bucerus, Martyr, Beza, alii, qui horum vestigia premunt & partes tuentur. Contra quos omnes credimus & profiteamur in sanctissimo hoc epulo vnâ cum vero pane & vino adesse & sumi à communicantibus verum corpus & sanguinem Christi. Cujus sententiæ nostræ firmissimum fundamentum damus Christi verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

XI. Illa verba eo sensu, quem natiuâ vi & proprio significandi modo in cuiusuis intellectu gignunt, accipienda esset, præterquam quod communis interpretandarum Scripturarum regula jubet, persuadent etiam vnanimi conspiratione suâ ipsi Spiritus sancti amanuenses, indubitatae fidei scriptores, qui vt locis & temporibus disjuncti præcepta & doctrinam magistri sui in publicos retulerunt codices, ita solenne ha-
bue-

buerunt, vt quod alius fortè minus plenè tradidisset aut planè, alius absoluerit & clarius reddiderit. Ita se se gesserunt Euangelistæ in rebus etiam non admodum necessariis. In hoc verò puncto longè maximi momenti quàm nihil huius obseruare sit, contra tam luculentos testes venire velle vltima fuerit absurditatis linea.

XII. Quin rei ipsius, quam Christus hîc tractat, indoles non nisi planum & simplicem sermonem esse patitur. Est dogma religionis Christianæ, & de re Ecclesiæ deinceps frequentandâ præceptum, quod v-surpatum alibi aut propositum non fuerat. Iam dogmata & præcepta noua verbis quàm fieri potest maxime propriis scriptura tradit semper. Quod si fortè alicubi figurato sermone vsa fuerit, alibi eundem simplice & claro interpretatur.

XIII. Accedit quod Sacramentum hoc supremam suam Christus voluntatem esse voluerit, quam non nisi clarissimè eum & citra ambiguitatem discipulis suis & hæredibus explicare conueniens erat. Domesticum enim natiuoq; sermone, non ambiguo aut colorato testamenta consignari oportet: & à sensu proprio & genuino vel tantillum deflectere nemini fas est. Hinc sanctus Paulus *testamentum hominis confirmatum nemo spernit aut superordinat.* Gal. 3, 17. *Leges quinetiam ciuiles: De his controuersis, quæ ex testamento proficiscuntur, neq; transigi- l. 6. Dist. de Tranfacto, neq; exquiri veritas aliter potest, quàm inspectis cognitisque verbis testamenti.*

XIV. Et profectò quàm minimè conducibile sit ac tutum, sine vrgentissimâ causâ sensui alieno proprium postponere, argumento nobis sunt ipsi aduersariorum proceres, qui tantum abest, vt interpretati-



DE CORPORE ET

onibus suis & glossis nostrâ nos sententiâ deturbent, ut etiam egregiè in illâ nos confirmet insigni inconstantiâ suâ & discordiâ.

XV. Carlstadius, cui redintegratum hoc certamen Saxoniam debere diximus, verba *Hoc est corpus meum* ita exponere audet, ut affirmet Christum panem porrigendo corpus suum, quo præsens accumbebat, digito designasse & dixisse, *hoc quod hic sedet est corpus meum*. Sed ita interpretem agere ineptire est. Quis enim discipulorum conuiuarum dubitare poterat, hoc quod accumbere sibi coram intuebantur, Christi corpus esse? Et præterea, si ita se Christus gessisset in exhibendo pane, similiter eum oportuisset, cum calicem porrigeret, digitum in sanguinem intendisse, quod fieri nisi vulneratâ aliquâ corporis parte nequiuisset. Sed hanc expositionem suam aliâ paulò commodiore mutauit postea, & cum Casp. Schvvenckfeldio ordinem verborum ita inuertit, quasi dixisset Christus; *edite corpus meum, hoc ipsum est spiritualis panis vel cibus*. Illâ vero licentiâ enunciationes inuertendi & infringendi semel admissâ, vniuersæ Scripturæ peribit certitudo, nec quicquam illa habebit amplius, quod non pari ausu interpolari possit.

XVI. Zvvinglius omisso vocabulo *Hoc ad id est* accedit, illudq; per *significat* exponit. Verùm doctrinæ Rhetorum ignarus ille vel oblitus tropum constituit in copulâ *Est*, quæ nihil minus valet, quàm tropum sustinere. Quum enim simplicissimæ sit significationis, nihil nisi ipsum esse dicit, in omni propositione ad vnionem extremorum necessarium. Copulam vero aliquando tropi officio fungi ostendi existimant ex illo Geneseos: *septem vacce sunt septem anni; quod idem*

SANGVINE DOMINI

274

idem esse cum hoc dicunt: *septem vacca significant septem annos.* Hic quando *Significant* faciunt copulam, & *Septem annos*, prædicatum, in prima statim principia Logica impingunt, per quæ non licet, vt casus obliquus locum prædicati teneat. Sic autem propositio illa resoluenda erit; *septem vacca sunt signa septem annorum.* Quæ similes loquutiones adferri possunt, figuram non habebunt in verbo *Est*, sed aut in subjecto aut in prædicato.

XVII. Oecolampadius simili modo se gerit, nisi quod aptius aliquanto loquatur, nec ita in Rhetoricam peccet, vti Zvvinglium peccare modò ostendebamus. Sensum tamen verborum cum illo ponit eundem, & quando Zvvinglius dicit, panem significare corpus; hic esse figuram corporis ait: vt secundum ipsum tropus sit non in copulâ & verbo *Est*, sed in prædicato *Corpus*.

XIIX. Oecolampadii temperaturæ & ductui Calvinus se accommodat, tantùm ejus interpretationem voculâ aliquanto reddit auctiorem, & corpus ait positum pro signo vel symbolo, non inani sed efficaci. Prædicatum quidem cum Oecolampadio metonymiâ sustinere, nomenq; rei signatæ signo deferri sine velo ostendit & docet in Institutione, è quâ verba transcribamus: *Signa sunt panis & vinum, quæ inuisibile alimentum, quod percipimus ex carne & sanguine Christi, nobis representant.* Et paulò post: *Quum panis nobis in symbolum corporis Christi datur, hæc statim concipienda est similitudo, Vt corporis nostri vitam panis alit, sustinet, tuetur: ita corpus Christi vegetande ac viuificande animæ vnicum esse cibum. Quum vinum in symbolum sanguinis propositum intuemur; cogitandum quos corpori vsus vinum afferat, vt eosdem spiritualiter afferri nobis*
Chri

DE CORPORE ET

christi sanguine reputemus: sunt autem fouere, reficere, confirmare, exhilarare.

XIX. Verum priusquam ad Caluini dogmatis examen propius veniamus, lubet in ipso & tribulibus eius videre & mirari magnam inconstantiam & incuriam, qua causa sua pessimi patroni miris contradictionibus se inuoluunt, suoque ipsorum gladio incumbunt. Bellae sunt voces Caluini, quando in priorem ad Corinthios commentaturus ita inquit: *Audio quid verba sonent: neque enim mortis tantum ac resurrectionis sua beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum in quo passus est ac resurrexit. Concludo realiter (ut vulgo loquuntur) hoc est, verè nobis in cenam dari Christi corpus, ut sit animis nostris in cibum salutarem.* Non minus pulcre in Tractatu de Coena loquitur: *Quum signum, ait, visibile conspiciamus, quid representet & à quo nobis donatum sit, cogitandum est. Panis enim datur, ut corporis Christi sit figura, eumque inebemur comedere. Datur inquam, à Deo, qui veritas certa & immutabilis est. Quod si Deus nec fallere nec mentiri potest, consequens est, ipsum omnia quae illic significat, reipsa implere ac prestare. Necesse est igitur, nos in cenam verè corpus & sanguinem Christi recipere, quum utriusque communionem nobis Dominus representet. Quid enim sibi vellet nos panem comedere, ac vinum bibere, ut significant carnem ipsius cibum esse nostrum, & sanguinem potum; si veritate spirituali praetermissa, vinum & panem solummodo praeberet? Nonne frustra & mendaciter hoc mysterium instituisset? & quod lingua Gallica dicimus, falsis insignibus? Itaque fatendum est, si vera sit representatio quam adhibet Deus in cenam, substantiam interiorem sacramenti visibilibus signis coniunctam esse: & quemadmodum panis in manu distribuitur, ita corpus Christi, ut eius participes simus, nobis communicari. Hoc certè, etiamsi nihil aliud esset, nobis abundè satisfactum.*

SANGVINE DOMINI

is facere deberet, quum intelligimus Christum nobis in Cœnâ
veram propriamq; corporis & sanguinis sui substantiam dona-
re, ut pleno iure ipsum possideamus, & possidendo in omnem bo-
norum suorum societatem vocemur.

XX. Non semel dicemus, io triumphe! & diuinæ
veritati de tam illustri testimonio gratulabimur. fe-
renti quoq; illud gratulari iuaret, nisi quem dextrâ
modò consignavit & obtulit confessionis suæ libel-
lum, mox læuâ inductum vel ereptum vicissim cupe-
ret alibi. Hunc enim in modum ipse & qui sequun-
tur ipsum, sermocinantur: *Ne qua ambiguitas restet,*

Consensu
cum Tigur
cap. 17.

quum in cælo quarendum Christum esse dicimus, hæc loquutio
locorum distantiam sonat & exprimit. Tametsi enim philoso-
phicè loquendo super cælos locus non est; quia tamen corpus Chri-
sti, ut fert humani corporis natura & modus, finitum est, & cæ-
lo ut loco continetur: necesse est à nobis tanto locorum interual-
lo distare, quanto cælum abest à terrâ. Beza: *Amplius ali-*
quid in Cœnâ, quàm in simplici verbo & Baptismo offerri, quod
ad rem ipsam attinet, id vero pernegamus. Et: Patres in Vet.
Testam. non minus participes fuerunt corporis & sanguinis
Christi, quàm nos sumus in Cœnâ Dominicâ.

Dial. ad
vers. Hesh.
Colloq.
Momp.

XXI. Per hæc nulli ignaro esse licet, quantis mor-
tales isti se irretiant contradictionibus. Vnâ paginâ
adstruunt substantiam corporis & sanguinis Christi
verè adesse; alterâ maiore molimine id ipsum destru-
unt & corpus Christi tanto à nobis interuallo distare
ajunt, quanto cælum abest à terrâ.

XXII. Magis adhuc illam eorum pugnam in luce
ponemus. Impietatis illi damnant hodie sententiam
Anabaptistarum & Antitrinitariorum, qui nudum
tantum corporis Christi signum in cœnâ admittunt;
& tamen reuera eam faciunt suam. Beza quidem Ala-

Epist. 57

B man-



DE CORPORE ET

mannum ecclesie Lugdunensis turbatorem per litteras increpas grauitur, quod nuda tantum signa adesse doceret. Dixerat Alamannus, *Illud inter nos constare puto, Christum in illa cœnâ non reale neq; verum corpus suum, sed panem duntaxat & vinum dedisse discipulis edendum & bibendum.* Ego verò respondeo, ait Beza, *perinde hoc esse, atque Christum mendacij arguere, ut qui claris & perspicuis verbis dicat, se illud ipsum corpus dare quod traditum est pro nobis, & illum ipsum sanguinem pro nobis effusum.* Deinde quis unquam nisi purus putus Anabaptista docuit Christum dedisse solummodo panem & vinum discipulis? Absit igitur, absit ut in istis tam horrendis blasphemis tibi assentiar. Imò contrarium affirmo, nempe Christum non simpliciter panem & vinum, sed corporis & sanguinis sui sacramenta: nec signa duntaxat, sed etiam in primis verum illud corpus suum pro nobis paulò post traditum, & verum illum sanguinem mox pro nobis effusum, id est, semetipsum discipulis suis tunc verè dedisse, & nunc Ecclesie sue dare. Sed quem in aliis errorem castigant, ipsi nunquam non errant. Suis igitur armis ita nunc conficiantur: Quæ interpretatio nihil præter nuda symbola absentis corporis & absentis sanguinis Christi in cœnâ relinquit, ea est Anabaptistica, & horrendæ blasphemie plena. Sed Caluini ejusq; sociorum interpretatio nihil præter nuda symbola relinquit. E. Major non negabitur: ipsorum enim illa est. Minorem ita probamus: aut loquuntur illi vtròbiq; propriè, quando dicunt, corpus Christi verè adesse, & tamen tantum distare, quantum cœlum à terrâ: & sic formali contradictione implicabuntur, & dogma dictabunt, cujus sensum nullius hominis ratio vnquam adsequetur. Si vero adstringi & implicari nolent, fatendum ipsis erit, alterutram loquutionem esse impro-

priam;

SANGUINE Domini

priam. Si hæc, *Corpus Christi abest*, impropria est, tum altera, *Corpus Christi adest*, erit propria, & nostra sententia stabilietur. Sed quia refrangantur & negant, ideo posterior illa, *corpus Christi adest*, impropria sit oportet. Quo ostenso & probato velint, nolint, ejusdem cum Anabaptistis absurditatis & impietatis postulabuntur.

XXIII. In hanc necessitatem redacti, fidem dicent efficere, ut res absentes, absentes & remotæ esse desinant. *Sicut reuera à nostris oculis, ait Beza, ac proinde à loco, in quo Cœnam Domini celebramus, tam procul nunc abest Christi corpus, quàm abest cœlum à terrâ: tamen quatenus hæc actio cœlestis est, & fides nostra in cœlum usq; subuehitur, ut Christum quàm efficacissimè apprehendat, hoc sanè respectu presentissimam esse Christi carnem in Cœnâ nisi fatearis, Cœnam Domini euacuas.* Sed nec ita obtinent quod volunt. Primò enim notamus, sermonem hîc esse de ipsâ Sacramenti essentiâ, & de eo quod Sacramento intrinsecum est. tale autem quid fides dici nequit, quæ cum Sacramento per accidens cohæret, & ab eo separari potest. Quando igitur quæ ad ipsum Sacramenti intrinsecum esse pertinent, fide metiuntur, in errorem labuntur Donatistarum, ab Ecclesiâ pridem damnatorum & proscriptorum. Illi enim quod Sacramentum à fide hominum pendere dicerent, baptismum ab infideli collatum inutilem esse, & proinde iterari volebant.

XXIV. Deinde fides, uti notum est, capitur vel pro assensu, vel pro fiducia. Si pro assensu, qui intellectus est, absurdum fuerit dicere, rem esse præsentem, quia creditur esse præsens. quin contrario modo verissimè dicitur; quia res est præsens, ideo præsentia eius rectè creditur. notitia enim & assensus supponunt

B 2

veri-



DE CORPORE ET

veritatem rei, non eam efficiunt: vt sibilari mereat, si quis montes aureos domi suæ imaginetur, & huiusmodi imaginatione innixus in summâ inopiâ pro Cresso sese gerat. Si verò fides accipitur pro fiducia, sic nihilo magis res absens propter fiduciam præsens esse potest. Per se quidem præsentia corporis Sacramento competit, fides autem per accidens, vti jam diximus. Hoc nunc addimus: si fiducia hæc rem facit præsentem, præsens nobis erit ipsa mors & oblatio Christi, in quâ maximè nostra fiducia recumbit; & per consequens in Eucharistiâ erit oblatio & sacrificium, quod in cruce peractum. Id quum maximè contra Pontificios & rectè Calviniani negent, ab ipsis admitti hoc loco minimè debet.

XXV. Hactenus contra Calvinianos ex eorum placitis disputare voluimus & ostendere quàm semetipsum rerum suarum incuriosè confodiant. Nunc quomodo ipsa Caluini expositio sese habeat, propius inquiremus. Sensus igitur, quo verba, *hoc est corpus meum*, donat, hic est: panis est figura corporis, & quidem non ociosa vel inanis, sed efficax, quia virtute corporis Christi nutrimur nos & refocillamur, quemadmodum aliàs panis corporibus nostris nutrimentum sufficit. Vti hæc Caluini mens ex verbis eius supra adscriptis patuit.

XXVI. Huic verò expositioni minimè hîc locum deberi ita ostendemus. Primò quoties corporis Christi in sacris literis vsus venit, & nudè illud ponitur, pro vero semper & naturali ipsius corpore accipitur: vbi autem corpus mysticum dicit, differentiæ notam & explicationem annexam sibi habet, vt res plana sit. Ita esse inspectio locorum docebit. *visantur 1. Cor.*

SANGUINE DOMINI

277
Cor. 12, 17: Ephes. 1, 23: Coloss. 1, 24. Nusquam vsurpatur pro figurâ corporis in vniuerso sacro codice. Quomodo igitur hîc sensum habeat, cuius alibi nullum prorsus occurrit exemplum?

XXVII. Deinde modus iste loquendi, quo Caluinus vtitur, genuino figuratè loquendi modo renititur planeq; euadit contrarius. Illud namque, in quo proprietates, quæ exprimi gaudet, magis fuerit lucida, aptum est prædicari de eo, in quo minùs illa est perspicua & clara. Ita virum animosum & fortem designaturi, dicimus, Hic est leo: vasrum & doli callentem; Hic est vulpes. Leo enim fortitudine & vulpes astutiâ suâ celebrantur vulgo. Huius ordinis ipse Christus non fuit negligens: *Ego sum vitis illa vera*, dicit apud Iohan. 15, 1. & c. 6, 35. *Ego sum panis vitæ. v. 55, caro mea verè est eibus, & sanguis meus verè est potus.* Si igitur ex Caluini sententiâ Christus esset loquutus, non dixisset inuerso ordine; *Hoc est corpus*: sed naturali & legitimo: *Corpus meum est panis.* Nec contrarium euincit loquutio adferri huc & obijci solita ex 1 Cor. 10, 4. *Petra autem erat Christus.* in eâ enim verba saltim sunt transposita, & nomen *Petra* non subiecti sed prædicati vice fungitur, quod contextum inspecturo clarum erit. dicitur enim *Petra autem erat Christus*, pro, *Christus autem erat Petra*; transpositione Hebræis solenni, quâ vltimum verbum præcedentis orationis initio sequentis ponere amant. Simili exemplo sunt Geneseos & Euangelij Iohannis exordia. Hic locus itaq; Caluini præposteram loquendi rationem iuuare aut rectam facere nequit.

XXIIX. Porro explicationi eius aduersatur manifesta determinatio, quæ statim in Christi verbis sub-



DE CORPORE II

nectitur, corpus, quod pro vobis traditur: Sanguis, qui effunditur. Quia enim hæc determinatio absolute ipsius rei adfirmatæ veritatem respicit; ideo juxta ordinarium quidem & vsitatum loquendi modum præcedentis adfirmationis proprietatem & veritatem explicare censetur. Quod ipse etiam Beza non potuit non agnoscere & probare. Certè, inquit, Alamannum, cujus antè facta mentio, objurgans, verba illa, Quod pro vobis traditur, & Qui pro vobis effunditur, necessario huc te adigunt, ut de ipsamet corporis & sanguinis substantiâ hoc intelligere cogaris.

XXIX. Quod si dicatur, panem oblatam illam rationem corpus Christi appellari, quòd sit figura & signum corporis, Christi memoriam animis nostris excidere vetans, eiusq; beneficia per fidem nobis applicans; majore jure & merito Evangelica prædicatio hoc titulo insignietur: verba enim quibus doctrina cœlestis vulgatur, magis significant & exponunt passionem, mortem & reliquum beneficiorum Christi thesaurum, quàm panis: nec nudum illa aut inane signum præstant, sed summâ efficaciam præditum. est enim Evangelium potentia Dei ad salutem omni credenti. Si jam propter, quam diximus, rationem Evangelium corpus Christi indigetandum non est, multò minùs propter eandem hoc nomine venire potest panis.

XXX. Tandem interpretationem Pauli ad Calvini glossam exacturo, Apostolum incommodum egisse interpretem apparebit. Si enim panis & vinum non sunt nisi signum, cujus interuentu per accidens, sed fide per se siue corporis siue beneficiorum Christi participes reddimur, falsò B. Paulus panem interpretatur *κοινωνίαν* corporis Christi, quum non panis sed fides hoc elogio insigniri digna sit. XXXI.

SANGUINE DOMINI

278

XXXI. Antequam hinc abeamus, vnum ex hypothesibus aduersariorum argumentum formabimus, quo hæc illorum explicatio æstimari possit. Quæcunque explicatio omnem rationem mysterij in Eucharistiâ destruit, illa est falsa. Sed Calviniana id facit. E Majorem probamus ex ipsissimis verbis Caluini fatentis, *hoc sacramentum esse mysterium, in cuius admi- Inst. I. 4. c. 4. n. 7. 32.* rationem prorumpendum sit; cui nec mens planè cogitando, nec lingua explicando par esse possit: esse arcanum sublimius, quàm ut vel hominum ingenio comprehendi vel enarrari verbis queat. Minor ita potest probari. expositionem Zvinglij nudum signum ponentis ipsi Calviniani mutatam volunt: panem enim esse signum vel figuram corporis, nihil planè abstrusi & incomprehensibilis mysterij habet, quum nullo negotio intelligi id ipsum & explicari possit. Deinde quando dicunt panem esse signum efficax, quocum reapse exhibeantur merita Christi per fidem, nihilominus omnis ratio mysterij tollitur: quando enim tribuunt Eucharistiæ, quod ei proprium & intrinsecum non est, participationem scil. beneficiorum Christi per fidem, nihil Sacramento quatenus tali relinqui, propriamque mysterij rationem eatenus euacuari interpretatione eâ certum est. Hypothesi itaq; suæ conuenientiùs loquitur Oecolampadius, qui initio libelli, quem hac de re primum, titulo De expositione verborum Domini, edidit, non Anno 1525. esse in hoc sacramento, quod vel miraculum sit, vel hominis captum excedat, longo sermone persuadere conatur: & quum tum absoluisset, Nunc, ait, satis est didicisse, non esse insaniam, nec supra humanam rationem, si intelligere conemur, quid sit & quomodo se habeat huius mysterij ratio. A quibus tamen placitis quantopere dissentiat Calvinus, paulò antè audiuius.

XXXII.

DE CORPORE ET

XXXII. Stat igitur sententia nostra, & verba institutionis intelligimus vti sonant, & vti Euangelistæ & Apostolus non vno loco, vno & simili semper modo repetita explicataq; dedere, sicuti etiam ab Ecclesiâ ejusq; Doctoribus semper & vbiq; pulcherrimo consensu & tradita ea sunt & credita.

XXXIII. Patrum testimoniis recitandis postea erit locus, hic dabitur continuando examini argumentorum, quibus ex Scripturâ partim, partim ex philosophiâ petitis sententiam suam fulcire, & veram corporis & sanguinis Christi in Coenâ præsentiam elidere antagonistæ nituntur.

XXXIV. Triuiale est, quod ab analogiâ Sacramentorum mutuatur; proprium videlicet esse Sacramentis, vt nomen rei ipsius significatæ tribuatur signo: quod tamen apud ipsos palmarium est. *Nos sanè, ait Oecolampadius præfatione in suum de Eucharistiâ dialogum, ex ratione Sacramenti cognouimus, illos Lutheranos non tam purè, vt decebat Christum annunciare.* Consensui orthodoxo, vti vocant, hunc præliminarem adscripsere versum: *Discite vel tandem, quid sacramenta vocentur.* Atqui nullarum id est virium. communis enim omnibus Sacramentis regula seu norma ex sacris litteris produci nequit, sed de singulis ex singulorum institutione tanquam vernaculo principio erit iudicandum. Et licet quadam tenus abire illud benigni pateremur, in Sacramentorum tamen institutionibus materiam & formam eorum attinentibus figuratum sermonem adhiberi negare omnino oportet. Aliter fortè se habere possint loquutiones significationem & effectum exponentes: priores tamen figuratæ esse nunquam poterunt. Quî enim de verâ ratione essentialium

SANGUINE DOMINI

279

et alium rituum & in Sacramento necessario usurpandorum nobis certo constaret? comestionem Paschatis Dominus imperaturus dicit: *capietis vobis agnum &c.* quod imperij vti sonat accipimus, verum agnum non figuram ejus interpretantes. Similiter quando baptizare, & in nomine Patris Filij & sancti Spiritus baptizare jubemur, verba ejus simpliciter intelliguntur, & quod designant peragitur.

XXXV. Instare hinc amant & ostendere in ipsa institutione Eucharistiae figuras, siue metonymias, & quidem non minus violentas, quam cujus Calvinus arcessitur, reperiri. Loca praecipue Lucae & Pauli ostentant. Apud Lucam legimus: *Τὸ ποτῆριον ἢ χυμὴν ἀγίασθη ἐν τῷ αἵματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.* *Hic calix est N. Test. in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.* Apud Paulum eadem verba sunt, nisi quod quatuor vltima non apponuntur. Dicimus nos calicem siue poculum, quando pro contenta potiunculâ usurpatur, figuram quidem esse, sed adeo non difficilem, vt quiuis illam sine obstaculo intelligat, adeo familiaré & tralatitiam, vt nobis de figurandâ phrasi minimè sollicitis sponte etiam nascatur & excidat. Facilius autem aduersarios hinc absoluerimus, si dixerimus Matthæum & Marcum simplicissimis & propriis verbis explicasse, quod Lucas & Paulus figurato fortassis sermone protulerunt. Vbi enim S. Lucas & Paulus habent, *Hic calix est Nouum testamentum in meo sanguine*; ibi S. Matthæus & Marcus ponunt, *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Quæ sanè directa & perspicua est explicatio. Si aduersarij similiter, quas nobis obtrudunt figuras ab vno Euangelistarum expositas monstrauerint, æquissimâ voluntate herbam illis & manum daturi sumus.

C

XXXVI.

DE CORPORE ET

XXXVI. Cum primis verò vrgent voculam *Testamenti*, quam figuram esse non admodum frequentatam dicunt. Esto ita, contineatur ibi figura, eam tamen vendicabit sibi phrasis Latina, non Hebraica, quâ vsus est seruator, vel etiam Syriaca. Apud Hebræos enim & Syros nihil solennius esse, quàm efficiens poni pro effectu, præsertim vbi sermo sit de Deo, docent ejus litteraturæ periti. quando namq; Hebræi, notare volunt causam aliquam esse valde propriam alicujus effectus, dicere amant, causam esse illum effectum. Ita Deus dicitur *vita, salus, fortitudo nostra, omne bonum nostrum*, quia istorum omnium causa & largitor est. hæc loquutiones in linguâ Hebraicâ communissimæ sunt, sicut in linguâ Latinâ phrasæ Latinæ. Ad eundem modum Christus Hebraicâ vel Syriacâ dialecto vsus formulam à vulgari & recepto loquendi modo minime alienam adhibuit, quando dixit, *Hic calix est novum Testamentum*. sensus enim est: hic calix i.e. quod ex hoc calice bibitur est causa noui Testam. vel constituit & fundat illud. Imò quod antea figuratè dictum videri poterat confestim explicatur sermone simplici, *In meo sanguine*. Sententiam veram hoc modo erit colligere: Quod sancit N. Testamentum, id è calice bibitur. Sed verus Christi sanguis sancit N. T. Ergo verus sanguis Christi è calice bibitur. Per figuras equidem typos & symbola N. Testamentum constitui non poterat: illis quippe durantibus. N. Testamento locus non erat, sed solum obtinebat & dominabatur Vetus.

XXXVII. Neq; verò tautologia huic explicationi nostræ exprobrari debet. inusitatum enim non est, vt quod modò minus clarè dicitur, distinctius mox & magis perspicuè efferatur, siue vt terminus latus & con-

confusus addito alio expressius & distinctius innotescat. Ita in formulâ, *Hic calix est N. T. in meo sanguine*; calix, siue quod è calice bibitur, est terminus inuolutus & confusus, qui explicatur & innotescit addito; *in meo sanguine*. sensus euadit talis: *Hoc poculum*, siue quod ex hoc poculo bibitur, *est nouum testamentum*, h. e. causa, fundamentum & basis noui testamenti, *in meo sanguine* siue per meum sanguinem constituti & sanciti; quod ipsum poculum siue, vt iam expositum est, id quod ex poculo bibitur, *pro vobis effunditur*. Idem itaque quod è poculo bibitur, pro nobis effunditur. Ergo quin sanguis Christi è poculo bibatur, nemo Christianus negare poterit.

XXXIX. Iuxta Caluianos è poculo non nisi vinum bibitur. Ac vinum non est basis noui foederis. Est tamen, ajunt, symbolum siue figura noui testamenti. Sed hoc etiam ipsum non in procliui est adsequi, quomodo videlicet vinum sit figura noui testamenti. Neq; conuenit, quum jam ipsum præsto sit, figuris diutiùs inhærere: omnium autem minimè eiusmodi figuris, quæ minùs idoneæ & expressæ sunt, quàm illæ; quarum hætenus vsus fuerat, prisci foederis. Agnus Paschalis typus est Christi, multò certè plenior & significantior, quàm panis aut vinum. Idem de sanguine cæterarum victimarum dici oportet. *Quum enim Moses, vt habet epistola ad Hebræos, omnia mandata secundum legem recitasset toti populo, sumto sanguine vitulorum & hircorum; cum aquâ & lanâ coccinâ & hyssopo, simul & ipsum librum & totum populum adspersit, dicens, Hic est sanguis testamenti, quod mandauit vobis Dominus. Quæ verba exstant Exod. 24, 8. Nempe sanguis hircorum & vitulorum est sanguis Veteris testamenti: at sanguis Filij*

DE CORPORE ET

Dei est sanguis Noui testamenti, De cuius symbolo si agatur, negari non potest, quin per effusum sanguinem mactatæ victimæ rectius & perfectius, quàm per vinum in poculo figuretur.

XXXIX. Dicent, panis nutrit & reficit; vinum exhilarat: idem præstat corpus & sanguis Domini animæ nostræ languenti & propter peccata sua mœstæ. Cæterùm si hoc ipsum designare voluisset Dominus, dixisset potius, vti etiam pridem monuimus, Corpus meum est panis; Sanguis meus est vinum. Habitus nutriendi & reficiendi, quæ in pane est & vino, ita latæ accommodationis est, vt rebus plurimis, omnibus videlicet, quibus animus humanus refocillari, firmari vel exhilarari potest, conueniat & aptari queat. Quando itaq; de re quadã particulari, cui ea vis inest, vt inesse eam significet, enunciatur; iuxta rerum naturam & vsitatum omnibus verba facientibus morem prædicati locum occupat, non vt hîc, subjecti. Deinde Eucharistia quidem vim illam reficiendorum animorum insinuat; esto: præcipuè tamen instituta est in commemorationem mortis Domini, vt efficaciter recordemur, corpore Christi pro nobis tradito & sanguine effuso expiari peccata nostra. At hoc multò significantius repræsentatur effuso cæsarum victimarum sanguine, quàm comesto pane vel epoto vino. *Omnia ferè secundum legem sanguine purificantur: & absq; sanguinis effusione non fit remissio, Hebr. 9, 22. Quamquam sanguis taurorum & hircorum non potest auferre peccata, Hebr. 10, 4; e conspectu videlicet Dei, atq; ita, ne impediant ingressum regni cælorum: sanctificat tamen ad carnis puritatem, Hebr. 9, 13; id est, eatenus, ne externa immundities communionem sacrorum & consortio cœtu-*

SANGVINE DOMINI

281

coetuum arceat: & haftenus ne quidem in Veteri testamento absq; sanguinis effusione facta fuit remissio. Talis, inquam, effusio sanguinis ad expianda eo, quod dictum est, modo peccata, longè profectio plenius & perfectius exprimit effusionem sanguinis Christi in remissionem peccatorum, quàm hauritus vini.

XI. Quidquid autem sit, verba, quæ apud Lucam sunt, (vt ad ea etiam reuertamur) non patiuntur nos dubitare, quin è poculo verus Christi sanguis, non saltim vinum, symbolum aliquod ejus, bibatur. Τὸ ποτήριον, τὸ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Quorum vim adeo ineuitabilem esse Beza intellexit, vt declinare se non posse animaduernerit, nisi aut Sancto Lucæ solœcismum impingeret, aut codicum fidem contra vnanimem omnium codicum consensum, quem ipsemet agnoscit sollicitaret. *Quum hæc verba, inquit, si constructionem spectemus, necessario non ad sanguinem sed ad poculum spectent, neq; tamen de vino (nedum de poculo) intelligi possint, aut manifestum est solœcophanes; — aut potius quum hæc essent ad marginem annotata ex Matthæo & Marco, postea in contextum irrepserunt. Addit autem, Hoc tamen etiam legitur apud Syrum interpretem, & in omnibus, quos inspeximus, Græcis codicibus.* Maluit videlicet, quum alia elabendi rima nulla esset obuia, sua Euangelistam solœcismi arguere, siue omnes omnino codices corruptos dicere, quàm fateri, è poculo eucharistico sanguinem Dominicum verè bibi. Quam siue in mutandis Scripturæ verbis audaciam, siue in credendis *καὶ ἀπὸ* absit vt nos imitemur.

Annot. marginibus.

XII. Posthæc, corporis Domini præsentia è coenâ eliminandæ valere volunt verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* In hæc commentantes, commemoratio



DE CORPORE Et

ratio & Symbolum, inquit, non est rerum præsentium, sed absentium & procul positarum. Principio hinc nituntur falso, si simpliciter illud capiant: tantum enim valebit in rebus visibili modo præsentibus, quarum propriè per symbola non recordamur. Si vero res præsens sit, non tamen visibiliter, tum ejus symbolum dari & commemoratio institui ritè potest. Ita Spiritus S. in Baptismo Christi præsentissimus aderat, per columbam tamen visibile signum ipsius præsentia manifestabatur. Idem Spiritus Apostolis sese insinuerat, præsentiam verò illius notabat symbolum linguarum ignitarum. Insuper Eucharistia instituta est in commemorationem passionis & mortis Dominicæ, non sanè modò præsentis, sed ante elapsa multa secula obitæ. ad sacram nempe hanc mensam venientes animo serio & ad pietatem composito recordari tenemur, eum, cujus corpus & sanguinem libamus, diris aliquando cruciatibus mortiq; truculentæ succubuisse sanguine suo vbertim fuso, vt nobis æternâ morte plectendis ejus gratiam faceret. quam praxin Paulus nos docet 1 Cor. 11, 26, jubens, *vt quotiescunq; ederimus panem hunc & poculum hoc biberimus, mortem Domini annunciemus.*

Ioh. 6, 63.

XLII. Porro illud Christi opponunt; *Caro non prodest quicquam.* Quo loco jam olim Nestoriani quoque abutebantur, vt ostenderent humanam Christi naturam cum diuinitate in vnam personam minimè coire, minimeq; viuificandi vim obtinere. Chrysostronus quidem & qui alij dictum hoc de sensu & intelligendi modo carnali exponunt, ad mentem Christi quàm proximè accedere videntur. ita enim vox carnis in scriptura venit, & spiritui creberrimè opponitur. Loca sunt

SANGVINE DOMINI

282

sunt apud Matth. 16, 17. 26, 41. Ioh. 3, 6. Rom. 8, 1. Gal. 4, 29. vbi caro, notat carnalem hominis sensum & naturam, quæ tantum rebus obuiis adherens humi semper repit, nec mentem ad diuinæ potentia & Spiritus virtutem eleuare satagit. Talem sensum humo tolli nescium, carnem esse, nec vllum vsum aut fructum præstare Christus hoc loco dicit. Calviniani vero de ipsâ Christi carne & humanitate exponunt. quod perperam fieri ipsum caput, ex quo verba illa excerpuntur, in progressu docet. tam ampliter enim Filius Dei de carne suâ ibi loquitur, vt ejus valorem qui eleuari eo in loco velit, feriri mereatur anathemate, quod concilium Ephesinum Nestorianis olim destinavit. Verba igitur hæc Calvinianis opem nullam commodabunt, aut si quid in iis præsidij ponunt, vel Nestorio sese aggregent vel suis cum dictatis pugnent necesse est. Quando enim carnem Christi nihil prodesse dicunt, sequetur eam nec fide perceptam, aut comestam spiritualiter profuturam, secus atq; ipsi alias, & quidem rectè sentiunt & docent. At prodest & profuit, inquit, nascendo, patiando; non vero proderit si comedatur. Imò verò ad omnia Christi carnem facere & conducere credimus, ad quæ conducere ipse voluit. voluit autem vt non tantum in cruce suspensa, aut condita humo, sed etiam vt comesa vsui nobis & fructui esset salutari. *Nisi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ sanctissima Dei voluntas securos nos præstet & quiescere faciat, nec damnoso pruritu sciscitari velimus aut pandere, quæ æterna sapientia silentio velauit.

XLIII. Pergunt in subsidium & testimonium aduoca-

DE CORPORE ET

uocare scripturam, & quando Lucae 24, 39. Seruator discipulos ad sensum prouocat, iisque palpandum se sistit, ita ex eo colligunt: vbicunq; est corpus constans osse & carnibus, illud potest contrectari & videri. At corpus Christi in S. Coenâ non contrectatur nec videtur. Ergo nec illud ibi est. Major illa in Christi quidem discursu fundamentum non habet. habebit autem si inuertatur hunc in modum: quod contrectatur & videtur, illud est corpus &c. Dominus enim ad discipulos differens communissimo hoc vtitur principio: quod integris sensibus & medio rectè disposito in legitimâ distantia visu, tactu iudicatur corpus, illud est corpus &c. Nihil verò collectione suâ aduersarij efficiunt. nam corpori, vt substantia est per se non competit, vt videatur & palpetur. color enim, durities, calor, frigus, objecta visus & tactus, accidentia sunt & qualitates corpori adhaerentes, quæ, nihil obstat, quò minus diuinâ potentiâ remoueri, impediri sensibusq; nostris eripi possint.

XLIV. Vtramq; verò in hac materie paginam apud illos facit, quod vltimo loco adducemus. Maximam fore repugnantiam dicunt, naturæq; lumen proscriptum iri, si naturale corpus alicubi esse, nec tamen locum occupare, siue si vnum corpus in pluribus locis collocare, aut plura in vno audeamus.

XLV. Nos contra, mysteria cum indubitata & explorata veritate principiorum, quæ omnino certa naturale lumen suggerit, non pugnare nouimus; atq; ex ipsâ philosophiâ sumus edocti, virtute diuinâ fieri posse, quæcunque non inuoluant contradictionem. Corpus verò locum non occupare sine contradictione aut mēdacio dici potest. Corpus enim vi definitio-
nis

nis suæ est in prædicamento substantiæ: quantitas autem & ubi, siue esse alicubi, non item. sunt enim accidentia, & propterea corpus constans suâ materiâ & formâ suam esse substantiale tueri potest accidentibus hisce sublatis.

XLVI. Obseruare tantum hinc oportet, magnitudinem corporis, & quicquid est de essentiâ magnitudinis, prius quid esse ipso ubi; extendi scilicet in se, habere partem extra partem, & proinde situm quemdam & dispositionem earum intrinsecam, atque naturaliter aptum esse locum replere, loco commensurari, & ex loco aliud corpus expellere: quiddam verò posterius vel simul cum ipso ubi; ut situm habere extrinsecum in ordine ad locum, & ipso actu coextendi siue commensurari loco, ipsum replere & per hoc aliud expellere; quæ omnia sunt functione & munere quodam quantitatis, ab ipsâ eius essentiâ omnino distincto & separato. Prius illud, vel naturalis illa ad commensurationem cum loco aptitudo esto etiam hinc salua: solum autem posterius, siue commensurationem ipsam, quam ad locum habet, à corpore diuinâ virtute remoueri sine vllâ repugnantia dicamus. Verbo repetemus. Corpus Christi in se quantum est, sed quominus quantitas illa effectum suum, extensionem pura ad locum in S. Cœnâ producat, quem aliàs sibi relicta, apta erat producere, Dei omnipotentia efficere potest.

XLVII. Quia igitur nullam in se repugnantiam includit, corpus non circumscribi loco & modum dari, quo corpus pluribus locis præsens sistatur, Deum quoque efficere idem valere jure meritoque credimus. Quin effecisse, sacræ scripturæ indicio constat. Christum

D

stum

stum S. Paulus in terris conspicatus est longo post ejus adscensionem tempore. Hinc ad illum Ananias, *Deus patrum nostrorum designavit te, qui videres Iustum illum, & audires vocem ex ore ipsius*, Actor. 22, 14: & Servator ipse, *Idcirco visus sum tibi*, Actor. 26, 16. Porro inter oculos testes, quibus resurrectionem Christi Apostolus probat, semetipsum collocat 1 Cor. 15. *Visus est, inquit, Cepha; deinde duodecim illis: postea visus est amplius quam quingentis fratribus: ultimo vero omnium, velut arbortivo, visus est etiam mihi.* Vnde eadem epistolâ dixerat ante c. 9. v. 1: *Nonne Iesum Christum Dominum nostrum vidi?* Non viderat autem Paulus Christum xl istis diebus, quibus sese in terrâ spectari fecerat: tum enim Apostolorum consortio nondum fruebatur. Vidit igitur, ut vel ex ipsâ historiâ certissimum est, in terris Dominum, postquam in cœlum jam ille erat sublatus.

XLIIIX. Posse itaq; Christum in terris corpus suum præsens exhibere, stationem cœlestem minimè deferendo planum est. Eundem verò hanc suam potentiam porro in actum deducere, suumq; nobis corpus in usu Cœnæ suæ præsens facere velle, id quum Sacramentum hoc institueret, expressis hisce verbis promisit: *accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite, hic est sanguis meus.* Quæ verba violentæ expositioni sensuiq; peregrino nihil debere supra probauimus. Et sic de potentiâ Dei ejusque voluntate non potest nobis non constare.

XLIX. Quòd si ostensæ veritati cedere noluerint, quòd modus, quo Christus se exhibeat, humanâ capite nequeat, articulos illis de Trinitate, de Incarnatione, de Resurrectione ob oculos ponemus & optionem permittemus, num Eucharistiæ mysterium intactum



SANGVINE DOMINI

284

tactum relinquere, an hæc quoq; capita propter modi ignorantiam eadem libidine adoriri velint. Sicut enim corporis Christi in Cœnâ præsentiam vestigare accuratè & imaginari nobis nequimus, ita in cæteris quoque fidei articulis idem, & fortè magis etiam, vsu venit. Satis ibi est, eruditissimas mentes, quibus in talium accuratas contemplationes incumbendum aliquando est, adsequi & contra infideles tueri, quòd talia mysteria nihil Deo indignum, nihil simpliciter impossibile, absurdum aut repugnans habeant.

L. Hic occurrit, de quo Caluini partem moneri & accuratè cogitare putamus magnum fore operæ precium. Norunt ipsi & scribit Ludovicus Lauaterus, Andream Carlostadium sub initia reformationis controuersiam publicis scriptis primum mouisse. Zvinglius quidem de conuellendâ corporis & sanguinis Dominici præsentia pridem cogitauerat, sed quum proferre cunctaretur, commodum accidit, ait Lauaterus, ut Andreas Carlostadius libellis aliquot Basileæ editis suam de Cœnâ Domini sententiam longè latèq; spargeret. Cuius hæc summa erat, Corpus & sanguinem Christi naturaliter in Cœnâ non contineri. Particulam enim HOC in verbis Cœnæ non panem, quem Christus discipulis porrexit, sed Christum ipsum monstrare. — Senatus Tigurinus, rei nouitate turbatus, cauebat ne publicè hi libelli in suâ vrbe venderentur. Zvinglius autem pro suggestu hortabatur senatum, ut libellos illos, sicut & alios, ab omnibus legi pateretur. — Oecolampadius etiam hinc inde ad amicos scribebat, ne Carlostadium propter libellos suos infamarent. Tametsi enim non adsequutus esset, quod voluisset, tamen rei summam improbandam non videri. Hæc acta sunt anno 1524. Sequentè edit Zvinglius Commentarium de verâ & falsâ religione; item Subsidiùm de Eucharistiâ:

Hist. controu. sacrament.

DE CORPORE ET

ristiâ: quibus in scriptis est interpretatur per *significat*.
Haut diu inde prodit ab Oecolampadio libellus De
expositione verborum Domini; in quo hæc leguntur:
Neq; contenderim, si quis per corpus magis figuram corporis in-
telligi velit, quam verbum EST per SIGNIFICAT interpre-
tari, nam id ipsum & mihi arridet. Vtrumq; tamen probo, eò
quod eundem sensum reddit, siue EST significat interpreteris,
siue Corpus figuram & sacramentum corporis. Atq; adeo con-
tendit, in Eucharistiâ nihil esse, quod captum homi-
nis excedat.

L I. Calvinus autem & Zvinglium & Oecolam-
padium *impegisse* statuit Tractatu de Cœna Domini,
qui scriptus Gallicè anno 1540, & latinè conuersus
primo loco inter Tractatus ejus junctim editos visitur.
Nempe dum *omnem ingenij vim ad impugnamdam præsen-*
tiam Corporis & sanguinis Domini applicarunt, — huic
proposito, inquit, nimium intenti, quum præsentiam Christi in
Cœnâ credere debeamus, qualis illic communicatio corporis &
sanguinis ipsius recipiatur, dicere omittebant. Adeo ut Lu-
therus nihil eos præter signa nuda, & spiritualis substantiæ va-
cua relinquere velle existimaret. Ideo cœpit palàm obsistere, ita
ut pro hæreticis habendos denunciaret. Et iterum: Dum ni-
mis studiosè & diligenter in hoc toti incumbabant, ut assererent
panem & vinum corpus & sanguinem Christi vocari, quòd ipso-
rum signa sint; non cogitarunt sibi hoc interea simul agendum,
ut adiungerent ita signa esse, ut nihilominus veritas cum eis
coniuncta sit. Ipse verò quàm feliciter & quo successu
id adjunxerit, superiùs ostensum est.

L II. Hoc quidem agunt omnes, ne verba Christi,
Edite, hoc est corpus meum; Bibite, hic est sanguis meus, signi-
ficare credantur, quod sonant & genuinâ suâ vi signi-
ficant: sed ut in sensum à proprio & simplici diuersum
tor-

SANGUINE DOMINI

285

torqueantur. Quamquam, quomodo torqueri velint, ne inter ipsos quidem conueniat. Ideo autem torquent, & torsiones istas suas rationibus hinc inde conquisitis muniunt, quòd iuxta simplicem sensum aliquid admodum nouum, inusitatum & à cummuni rerum naturâ alienum, imò abhorrens enunciare ipsis videantur.

LIII. Cæterùm, si ita agitur, si eam ob causam à simplice sensu verborum Scripturæ recedere licet; pari ratione & facilitate mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis & quæcunq; fidei Christianæ sunt, euertètur. Quum dicitur, *Hoc est corpus meum*, corpus ipsis est symbolicum & typicum corpus. Quid nî similiter, quum dicitur *Christus est Deus*, Deus sit symbolicus & typicus Deus, ratione videlicet crediti sibi muneris siue administrationis? Atq; ita tollitur omnis, quæ alioquin ingenij humani vim excedit, & captû superat, & exemplo caret, difficultas, nempe vnâ essentiam in pluribus personis subsistere. Tollitur etiam altera, nihilo inferior, quæ in mysterio Incarnationis occurrit; duarum, inquam, naturarum in vnâ personâ vnio & vnica subsistentia. Et si ab humanâ naturâ nullâ ratione & ne quidem per omnipotentiam diuinam separari potest accidentalis existendi modus, scilicet loco sensibiliter contineri & loco commensurari; quomodo remoueri poterit modus existendi substantialis, vt nò propriâ humanâ sed alienâ diuinâ personalitate subsistat? Et si modus existendi in aliquo vbi, qualis spirituum est, nempe sine sensibili vel adæquatâ locati & loci coëxtensione, corpori neutiquam potest communicari; quomodo communicabuntur alia, quæ spiritibus non minùs propria & ab humano



DE CORPORE ET

corpore aliena sunt, nempe immortalitatis, incorruptibilitatis & æternitatis dona? Reparabitur itaque corpus, non quod pridem fuit, carne constans & sanguine; sed longè aliud, à priore secundum substantiam diuersum. Ita dum vnum aliquod clarè in sacris literis expressum mysterium ob apparentem humano intellectui primâ fronte absurditatem sollicitatur, eâdem operâ alteri & deinceps tertio & paullatim reliquis periculum creatur: tandem pergentibus suæque audaciæ frena laxantibus omnia pereunt.

LIV. Huc itur, istâ quidem portâ patefactâ. Quam quum Tiguri Zvinglius, Basileæ Oecolampadius, Geneuæ Calvinus aperuissent, per eam præcipites se dedere multi, qui nullâ ratione reuocari postea potuerunt. Notum enim est eos, qui superiore seculo primi diuinitatem Seruatoris nostri perfidè impugnarunt, ex Helueticis ecclesiis, postquam in iis principia & hypotheses, quas diximus, imbiberant, & torquendi initium facere cœperant, præcipuè verò ex Geneuensi prodiisse; nempe Michaëlem Seruetum, Georgium Blandratam, Matthæum Gribaldum, Valentinum Gentilem, Iohannem Paulum Alciatum, Lælium Socinum: & hoc ipsum si non aliunde, vel ex historiâ vitæ Caluini, quam Beza scripsit, promptum est intelligere.

LXV. Vehementer quidem obnitebatur Calvinus, quo accusante in cineres redactus est Seruetus: Gentilis verò recantare coactus, & præterea *exutus vsq; ad camisiâ, pedibus nudis & capite discooperto facem accensam manu tenens ad clangorem tubæ per omnia vrbis compita circumductus*. Sed frustra fuerunt ista omnia. Ex quo à simplice proprioq; Scripturæ mysteria tradentis sensu recedere semel didicerant, non contenti erant recedere,

Tra&t. Cal
vin. p. 215.

dere, quatenus permetteret aut præscriberet Caluinus. Neque enim quare licentiâ semel arreptâ in solo Eucharistiæ, & non in aliis quoque Christianæ fidei mysteriis exponendis vterentur, videbant; aut sibi à Caluino, quem ad id idoneâ nullâ potestate præditum esse scirent, limites poni patiebantur. Non minùs igitur in mysteriis aliis, in quibus id fieri nolebat Caluinus, à simplice verborum sensu recedere pertexerunt, quàm in mysterio Eucharistiæ, in quo volente i-
mò præeunte Caluino recedebant: & quû in exilium, qui capite luere nollent, ire cogentur, pestem infidelitatis Transilvania, Lithuania & Polonia intulerunt: vbi eorum discipuli & successores eiusmodi principis imbuti, & viam recedendi semel ingressi, nullum, ne hodie quidem, progrediendi finem faciunt.

LVI. Nempe proximè ab euerso Eucharistiæ mysterio itum est, vt diximus, ad euertendum mysterium Trinitatis: quo subruto mysterium Incarnationis siue vnionis duarum naturarum, nullo alio admoto ariete, collabitur. Porrò magnum est mysterium Resurrectionis mortuorum: idem scilicet corpus, quod dissolutum pridem fuit, redintegrari & restitui. Sed hoc quoque apud ipsos non superest ampliùs, secundum quos instaurabitur non idem corpus, sed aliud totâ specie diuersum, nullâ videlicet carne vel sanguine constans: quibus ne ipsum quidem Domini corpus hodie præditum esse concedunt, vt eò minùs de præsentia carnis & sanguinis Domini in Eucharistiâ laborare ipsis sit necesse. Pari audaciâ, viâque quam semel calcare cœperunt, inhærentes satisfactionem Christi tollunt; & quod semetipsum pro nobis in precium redemptionis dedisse scribitur, id totum non nisi metapho-

DE CORPORE ET

phoricum esse ajunt. Peccatum originis dudum apud eos est abolitum: baptismi necessitas sublata: immortalitas animæ, omniscientia & omnipræsencia Dei vix extremo margine hærent. Quid tandem his hominibus de doctrinâ Christianâ reliquum erit?

LVII. Vnam tamen fortè creationis doctrinam intactam saltem relinquunt? Ipsis sanè vel aliquid è nihilo esse factum, vel terram & aquam à Deo conditas esse non liquet. *Ideo Deus ex nihilo*, ait Iohannes Volkelius, *omnia fecisse dicitur, quia ea creavit ex materiâ informi, hoc est, eiusmodi qua nec actu nec naturali aliquâ potentiâ seu inclinatione id fuerit, quod postea ex eâ fuit formatum.* Item, *De ipsius terra & aqua — creatione nihil dicit Moses*, (terra enim apud Mosen ei non terram ipsam, sed terrestria significat) *nec quicquam alibi sacra litera pronunciant: ut non male ij facere censendi sint, qui sententiam hac de re suam suspendunt &c.*

LIIIX. Hæc talia, per quæ de religione & fide Christianâ nihil propemodum superest, nobiscum detestantur & abominantur (neque enim dubitare libet) Calviniani. Interim considerent, à suis simplicia & perspicua mysterij Eucharistici verba torquentibus ansam tantæ infidelitati præbitam fuisse, portamq; patefactam, per quam in hujusmodi præcipitia iretur. Si culpæ affines in posterum audire nolunt, simplicitatem & proprietatem verborum ut in aliis, ita hoc quoque mysterio, retineant, nec ideo, quia vel ipsa res mirabilis esse & omnem creatam potentiam excedere vel modus, quo præstari diuinitus queat, incomprehensibilis videtur, repudient. Dicant potiùs cum Tertulliano: *Scio illum non aliter, quàm disposuit, pronunciasse; nec aliter disposuisse, quàm pronunciauit.* Et cum Augustino

adv. Prax.
cap. 10.

gustino: *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur in-* epist.
uestigare non posse.

LIX. Quod profectò qui in aliis mysteriis admit-
tunt & credunt, quare in hoc admittere & credere de-
trecent, causam, quæ satisfacere valeat, reddere num-
quam poterunt. Si enim potest Deus exuere naturam
humanam modo existendi substantiali, eumq; pensa-
re alio; minori negotio modus existendi accidentalis
alio accidentali commutabitur. Prius autem illud fi-
eri posse, mysterium Incarnationis probat. Posterius
itaq; quur in mysterio Eucharistico fieri nequeat? præ-
fertim quum è resurrectionis mysterio multa alia, quæ
spiritibus propria sunt, corporibus, & in perpetuum
quidem, collatum iri certum sit? Duratio sine interitu
& sine, siue existere in æuo, quemadmodum spiritibus
competit, coporibus merè humanis conferri potest:
præsentia igitur in aliquo vbi, qualis spirituum est, si-
ue existentia in loco sine commensuratione & repleti-
one loci quare corpori ipsius Filij Dei pauxillo tempo-
re conferri nequeat?

XL. Cæterùm ita dogma aliud cum alio confe-
rentes imbecillitati nostræ succurrere, opisq; & subsi-
dij non nihil adferre cupimus: quod citra temeritatis
notam fieri putamus. Interim vt alia, ita hoc quoque
scimus esse mysterium. Nullâ itaq; re magis celebra-
tur, quàm silentio, simplicitate & fide. Ergo garruli
& curiosi esse desinamus, pronâ fide Christi Dei Filij
verbum, *Hoc est corpus meum*, veneremur, & quando pa-
nis & vinum nobis porriguntur, vnâ Domini corpus
vescendum, & sanguinem bibendum porrigi profite-
amur: *Judaicum* verò illud verbum *QUOMODO* extremi sup-
plicij causam, vt alibi, ita hoc maximè loco exauctore-
mus,

Cyrill. l. 4.

in Ioh. c. 13.

E

mus,

DE CORPORE ET

mus, nec vnquam in animum nostrum aut os admit-
tamus.

LXI. Monemus igitur, (& monere omnino oportet,) nos, quum argumenta, quibus impossibilitatem vel absurditatem mysteriorum euincere nonnulli moluntur, dissoluimus, etiam si videamur interdum modum aliquem vel ponere vel adstruere; non tamen reapse eum definire aut determinare, sed hac procedendi ratione saltem uti, nempe, Si nobis non omnino difficile est modum absurditatis immunem excogitare, & qui si ponatur, cessat τὸ ἀδύνατον καὶ ἀσύστατον, quod dissentientes objicere solent; quanto magis Deo modus ejusmodi in promptu erit: quem tamen nos infinitæ ejus sapientiæ & potentiæ, de vtraque non minùs quàm de veracitate certi, & quidquid diuinitùs prolatum scimus, religioso potiùs silentio venerati, quàm de modo, quo fieri queat, curiosè solliciti, relinquimus.

LXII. Addendum hoc quoque, vix posse præsentiam corporis & sanguinis Domini in sanctâ Eucharistiâ exprimi, quin simul videatur modus aliquis exprimi; & vix posse dari verba, quæ ita nudè præsentiam significant, vt non videantur vnâ inuoluere & consignificare quemdam modum: verbi gratiâ, quum dici solet, *In, cum & sub pane offerri & accipi corpus Domini:* nostram tamen mentem & intentionem non esse, vt modum definiamus, sed solummodo vt præsentiam affirmemus.

LXIII. Non possumus, quin hîc adjiciamus verba eximii viri, M. Antonii de Dominis. Defendit ille libro suo de republica ecclesiasticâ quincto absentiam corporis & sanguinis Domini, num in gratiam
eorum

eorum, apud quos hospitabatur, nouit Dominus; nos in medio relinquimus. Defendit autem adeo variè & inconstanter, vt subinde ad veram præsentiam adferendam declinet; adeo infeliciter, vt ἀτοπα, quæ præsentia impingi solent, euinci non posse fateatur, nisi proscrip̄tâ doctrinâ categoriarum Aristotelicâ, & inuectis in philosophiam nouis & antehac inauditis opinionibus. Libro autem septimo planè ad se videtur rediisse, nisi quod ad solos dignè accedentes sententiam suam restringit: quam eatenus quidem probare nos non possumus: Cætera præclara sunt, & verum legitimumque modum sopiendæ controuersia (Deus id tandem donet!) aperiunt; & proinde idonea, quæ hîc legantur. *Quia secundum veritatem, inquit, qui dignè sumit sacramenta corporis & sanguinis Christi, ille verè & realiter corpus & sanguinem Christi in se corporaliter, modo tamen quodam spiritali, miraculoso, & imperceptibili sumit, omnis dignè communicans adorare potest & debet corpus Christi, quod recipit: non quòd lateat corporaliter in pane, aut sub pane, aut sub speciebus & accidentibus panis; sed quòd quando dignè sumitur panis sacramentalis, tunc etiam sumitur cum pane Christi corpus reale illi communionem realiter præsens. An ita sentirent à magistro Caluino reformati, diu dubitavi, & volui, dum hæc imprimenda parabam, planè sententiam Caluini agnoscere. Atq; hæc quæ sequuntur dicta in eius opusculis reperi.* Subjungit nonnulla Caluini, quibus præsentiam difertè satis adferi nos etiam supra diximus; & addit: *Omnes igitur & Pontificii, & Lutheri, & Caluini discreti sectatores in eo conuenimus circa sacratissimum Eucharistia sacramentum, nobis in eo verum ac reale Christi corpus verè & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non sistimus omnes? Cur hîc terminum disensionum nō collocamus? Cur admodum ineffabi-*

vide num.
178 & 190.

cap. II.
num. 7.

DE CORPORE ET

lem, mirabilem, & occultum, nobisq; penitus ignotum, & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter descendimus, ut, qui cum nostrâ insipientiâ non desipiat, eum à caritate & communionem religiosâ & catholicâ excludamus? Hic est tam atrocis & periculosa dissensionis facillimus modus sopienda ut omnes veritatem corporis Christi in sumendâ Eucharistiâ exhiberi vno ore fateamur; & circa modum, quo fiat hac exhibitio, quippe ineffabilem, & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus; & ex hac dissensione schismata coalita extinguamus, — Stemus in solo quod sit, nempe verum Christi corpus in Eucharistiâ dignè eam recipienti exhiberi: verba Scripturae ut sunt & iacent, retineamus, quomodo res sit, ne inuestigemus anxie. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se; ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniarisq; mendax. Cur ergo, dicente Christo, HOC EST CORPUS MEVM, nos addamus, est corpus per transubstantiationem, consubstantiationem, figuratiuè duntaxat, & non realiter; fide percipiendum, & non ore, &c. Hoc est addere sermoni Dei, unde facile arguamur, & mendaces inueniamur. Cur ob ista nostra addita contendamus, ut schismate Ecclesiam diuidamus? Idem corpus Christi omnes comedimus; sed modum quo id fiat omnes ignoramus.

PROV. 30.5.

LXIV. Utinam huic sano & recto consilio ubiq; & ab omnibus obtemperetur! Quod enim pridè emortuæ sepultæq; hæreses refodiuntur, & ex orco in dias luminis auras reuocantur, causa est, ut ostendimus, vna & sanè præcipua, quòd à plano perspicuorum Scripturæ verborum sensu ob aliquod apparens adu-
rator siue à οὐρατοῦ receditur; altera, quòd in τὸ Quomodo
mysteriorum ociosâ imò improbâ curiositate inquiritur, & plerumq; ab iis, quos à conatu, si vel maximè aliquatenus utilis esset, curta eruditionis supellex de-
terre-

terrere deberet, ob ruditatem partim falli pronos & ipsâ culpâ fugâ in vicium proclives, partim feroces & opinionis à suâ diuersæ intolerantes; tertia denique, quam nec ipsam præterire oportet, quòd primæ & primæ ecclesiæ auctoritas & consensus aut industria, quantam adhiberi rei dignitas, flagitat, non vestigatur, aut in precio, quo par erat, non habetur.

LXV. Restat igitur, ne crimen, quod in aliis reprehendimus, ipsi incurramus, vt antiquitatis testimonia sententiæ nostræ firmandæ, aliorum conuincendæ sub calcem adscribamus. Compendio autem studentes, ex vbere messe paucula seligemus, quæ perspicuitate suâ fidem æquabunt omnium.

LXVI. B. Ignatius, Episcopus Antiochenus, & Martyr, quem ætate locum meretur, in indice nostro capiet principem. Ita ille de hæreticis quibusdam corporis Christi & sanguinis præsentiam negantibus scribit ad Smyrnenes: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quod non consteantur Eucharistiam esse carnem Seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater suâ benignitate suscitauit.*

apud Theodoret. dial. 3.

LXVII. Martyri martyr ex secundo seculo succedat Iustinus, negans nudum vel communem panem in Eucharistiâ accipi. Verba ejus ex Apologiâ secundâ ad Antoninum Imperatorem hæc sunt: *Alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Christus tradidit viuenti. Non enim vt communem panem & communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus seruator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit: ad eundem*

pag. 76. & 77. edit. Cömelin. 1523.

DE CORPORE ET

dem modum, etiam, in quâ per preces verbi eius ab ipso profecti gratia sunt acta alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem. Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto & gratias actis dixisse: Hoc est sanguis meus. Verba in medio posita Græcè ita sonant. ἡ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, ἔδὲ κοινὸν πόμα ταύτα λαμβάνοντες, ἀλλὰ ὄν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιήθη, ἰσθὺς χειρὸς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν καὶ σαρκὸς καὶ αἵμα ὑδαρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν. ἔπειτα καὶ πάλιν δι' εὐχῆς λόγου τὸ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστήσαντος τροφὴν, ἐξ ἧς αἵμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνη ἔσ σαρκοποιήσεται. Ἰησοῦς καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.

LXVII. Eodem cum hoc seculo vixit IRENAEVS, qui libro suo quarto c. 34. ita secundum versionem Latinam loquitur: Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratia acta sint, corpus esse Domini sui & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricat oris mundi filium dicant, id est, verbum eius per quod lignum fructificat & defluunt fontes, & dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spicâ. Quomodo autem rursum dicunt carnem in corruptionem deuenire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutant, aut absterneant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistia, & Eucharistia rursum confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quæ sunt eius, congruenter communicationem & unitatem predicantes carnis & Spiritus. Quemadmodum enim qui est à terrâ panis percipiens vocacionem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipi-

SANGVINE DOMINI

290

ipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Et libro 5. c. 4. Vani omnimodo, qui universam dispositionem Dei contemnunt, & carnis salutem negant, & regenerationem eius spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neq; calix Eucharistia communicatio sanguinis eius, neq; panis quem frangimus communicatio corporis eius est.

LXIIII. TERTULLIANVS libro de Idololatriâ capite septimo Christianos idolorum artifices redarguens, ait: Totâ die zelus fidei perorabit ingemens Christianum — eas manus admouere corpori Domini, quæ demoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipse tradunt aliis, quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacefferunt. ô manus præcidendæ. Lib. de orat. c. 6. Corpus eius in pane censetur: Hoc est corpus meum. Lib. de resurrect. carnis c. 8. Caro abluatur, ut anima emaculetur: caro inungitur, ut anima consecretur. — caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.

LXIX. ORIGENES Adamantius, in diuersos N. Tomo 2.
Testamenti locos homiliâ 5, vbi agit de centurione edit. Basil.
eiusq; puero paralytico: Sed & hoc nullum nostrum per- 1571.
transeat sicut pusillum aliquid, quod dixit iste Centurio: Non sum dignus ut sub tectum meum intres. Intrat & nunc Dominus sub tectum credentium duplici figurâ vel more. Nunc enim quando sancti & Deo acceptabiles ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur, & tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliud quando sanctum cibum illudq; incorruptum accipis epulum, quando vitæ panem & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem
Domi-

DE CORPORE ET

Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem & dicito, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. ubi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. Tractatu xxxv in Matth. Nec mireris quoniam ipse est & panis & manducat nobiscum panem; ipse est & potus generationis de vitæ, & bibit nobiscum. Omnipotens enim est verbum Dei & diuersis appellationibus nuncupatur, & immemorabilis est ipse secundum multitudinem virtutum, cum sit omnis virtus vnus & ipse.

LXX. Tertius è tertio seculo accedat S. CYPRIANVS, qui Sermone suo de lapsis ita loquitur: Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus & contagia funesta redolentibus Domini corpus inuadunt — Spretis his omnibus atq; contemptis vis infertur corpori eius & sanguini, & plus modo in Dominum manibus atq; ore delinquant, quàm cum Dominum negauerunt. Sermone de Cœnâ Domini, inter opera Cypriani exstante: Cœnâ dispositâ, inter Sacramentales epulas obuiauerunt sibi instituta antiqua & noua, & consumto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumentibilem cibum magister apponit discipulis. Et ibidem postea: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro: Et sicut in personâ Christi humanitas videbatur & latebat diuinitas, ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, usq; ad participationem Spiritus. Mox iterum: Noua est huius sacramenti doctrina, & schola Euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ aucto-

SANGVINE DOMINI

291

auctoritas districtissime interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet: Euangelium precipit ut bibatur.

LXXI. Testimonium quoque locuples hic dicit SYNODVS NICAENA sub Constantino Magno, anno æræ Christianæ CCCXXV contra Arium coacta, è cuius actis sequentia ut à Iul. Cæs. Bulengero conuersa sunt, promimus. *In mensâ diuinâ rursus ne deiecto animo ad panem & calicem propositum attendamus, sed elatâ cogitatione per fidem intelligamus iacere in hac mensâ sacrâ agnum Dei tollentem peccata mundi, qui incruentè à sacerdotibus immolatur, & nos preciosum eius corpus & sanguinem verè accipientes credere istas esse tesseræ resurrectionis. Ideo ne quod multum sumimus sed paululum, ut cognoscamus non ad satietatem sumere, sed ad sanctificationem.*

Diat. 3. cõt.
Cafaub.

LXXII. S. HILARIUS Pictauiorum Episcopus libro IX de Trinitate: *Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est? Et: De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostrâ verè caro est, & verè sanguis est.*

LXXIII. CYRILLVS Hierosolimitanus Careche- si mystagogicâ quartâ, recitatâ Institutionis Cœnæ formulâ ita differere pergit: *Cum igitur Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente; Hic est sanguis meus, quis inquam dubitet & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilæa solâ voluntate; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendū miraculum operatus est, & non multo magis corpus & sanguinem suum de-*

F

disse

DE CORPORE ET

disse illum constebimur? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, sub specie vini datur sanguis, ut sumto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes; cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut beatus Petrus dicit, diuina natura consortes efficiemur. Et paulo post: Ne ergo consideres tanquam panem nudum & vinum nudum: corpus enim est & sanguis Christi secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices: quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem. Catechesi mystagogicâ V totam Liturgiam describit, & ostendit, quàm religioso affectu, quantâ animi submissione & reuerentiâ sanctissimam hanc Christi cœnam obierint priscae Ecclesie Christiani. pauca inde præsentî instituto maximè seruitura transcribamus. Audistis, inquit, deinceps diuina quadam melodiam psallentem, atque ad sacrorum mysteriorum communionem nos adhortantem: gustate & videte, quod Christus est Dominus. Nam hoc corpore palato ut istud diiudicetis, nobis præcipitur? Nequaquam sed potius fide certâ & omni dubitationis experti, gustantes enim non panem aut vinum ut gustent iurentur, sed quod sub specie est panis & vini, corpus & sanguinem Christi. Accedens autem ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subiicias dextra, quæ tantum regem susceptura est, & concavâ manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis, tum sancti corporis contactu communica. Cave autem ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne magnâ cum

SANGUINE DOMINI

292

cum diligentia illa teneres, cauens ne quid ex illis periret, damnatumque sustineres? Et non multo magis & diligentius de hoc quod auro gemmisque preciosius est, ne mica aliqua ex illo cadat providebis? Tum vero post communionem corporis Christi accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum & venerationis dicens: Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi quem assumis, & cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens & oculos & frontem & reliqua sensuum organa consecra. Postremo expleta oratione Deo gratias age, qui te tantis mysteriis dignum reddidit. Hactenus Cyrilli verba adduximus e Catechesibus ipsis; cuiusmodi opuscula, quum rudi minusque ingenioso populo precipue destinantur, proprie & maxima simplicitate doctrinas proponere & explicare amant.

LXXIV. Eodem tempore, quo Cyrillus Hierosolymis docebat, Mediolani episcopum agens AMBROSIVS eandem illam de Eucharistia doctrinam pariter scriptio genere propagavit: ut liqueat Orientem cum Occidente hoc in negotio quam amicissime conspirasse. Libri autem de iis qui mysteriis initiantur Tomo IV. edit. Basil. 1567. capite I IX in hæc verba loquitur: Reuera mirabile est, quod Manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cæli pascebantur alimento. Vnde dictum est: Panem Angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista autem esca, quam accipis, iste panis viuus qui descendit de cælo vitæ æternæ substantiam subministrat, & quicumque hunc manducauerit, non morietur in æternum: & est corpus Christi. Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud est cælo, hoc supra cælum; illud cæli, hoc Domini cælorum, illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum

F 2

serua-

seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in aeternum. Iudaeus bibit & sitit: tu cum biberis sitiri non poteris. Et illud in umbrâ, hoc in veritate. Si illud quod miraris umbra est; quantum istud est, cuius & umbram miraris? — Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quid si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, mutare in id, quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? suis ut amur exemplis, incarnationisq; exemplo astruamus mysterij veritatem. Nunquid natura vsus praecessit, cum Iesus Dominus ex Mariâ nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consuevit. Liqueat igitur quod praeter naturam ordinem virgo generauit. Et hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic quaeris naturam ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus, partus ex virgine? Vera utiq; caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est: verè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum: ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur, quod sermo sonat, affectus sentiat.

cap. 4.

LXXV. Idem ille lib. iv de Sacramentis denuò inquit: Verè magnum est miraculum quod populo pluit Deus
man-

293
 manna de cælo — Tu fortè dicis: Meus panis est vsitatus. Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est & cuius sermonibus? Domini Iesu. — ubi venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus & factum est cælum. iussit Dominus & facta est terra. iussit Dominus & facta sunt maria. iussit Dominus & omnis creatura generata est, Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod iam est corpus Christi. Ipse dixit & factum est: ipse mandavit & creatum est. Capite V. Ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?

LXXVI. GREGORIUS Nyssenus in oratione de sancto Baptismate, propè ab initio: Ne contemnas diuinum lauacrum, neq; id tanquam commune propter vsum aquæ parui facias & leui momento ducas. Nam illud quod operatur, magnum est. — Panis item panis est initio communis: sed ubi eum mysterium sacrificauerit, corpus Christi & dicitur & est. eodem modo vinum. Quum sint res exigui precij ante benedictionem, post sanctificationem, quæ à Spiritu procedit, utrumq; eorum excellenter operatur.

LXXVII. GAUDENTIUS Brixienſis Episcopus Tra-

DE CORPORE ET

Statu 11 in Exodum. Ipse igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terrâ panem, de pane rursus (quia & potest & promisit) efficit proprium corpus: & qui de aquâ vinum fecit, de vino sanguinem suum. — O altitudo diuitiarum & sapientia & scientia Dei. Pascha est, inquit, Domini. ne terrenum putes, quod cœleste effectum est per eum, qui transiit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem. — Quod annunciatum est credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacra vitis. Nam cum panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Credamus quæso, cui credidimus nescit mendacium veritas.

LXXIIX In quinto seculo primùm occurrit AVGVSTINVS, cujus verba lib. 3. de Trinit. c. 4. hæc sunt: Nec linguam eius (Pauli Christum prædicantis) nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos linguâ editos, nec signa literarum conscripta pelliculis corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mysticâ consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei, cum hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur. Libro XII contra Faustum cap. x: Habet magnam vocem Christi sanguis in terrâ, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. Et c. xx. Bibitur, quod de Christi latere manauit. Et epist. CXIIX ad Ianuar. Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quàm ceterâ cibi.

LXXIX

LXXIX. CYRILLVS ALEXANDRINVS epistolâ ad Nestorium hunc in modum scribit nomine Synodi: *Ita ad mysticas accedimus benedictiones ac sanctificamur, participes facti sanctæ carnis preciosiq; sanguinis Seruatoris nostri omnium Iesu Christi, nec ut communem carnem accipimus, absit, neq; tanquam viri sanctificati & verbo secundum dignitatis unitatem coniuncti, utpote velut diuinam inhabitationem adepti, sed ut verè viuificatricem & ipsius Verbi propriam.* — Itaq; etiamsi ad nos dicat, Amen Amen dico vobis, nisi manducetis carnem filij hominis &c. non tamen illam velut hominis cuiusdam ex nobis esse arbitramur. quomodo enim hominis caro secundum naturam suam viuifica erit? sed tanquam propriè illius factam, qui propter nos filius hominis & factus est & appellatur. Libri IV cap. XIII in Iohan. Quomodo potest hic carnem suam nobis dare? de Deo non sine magnâ impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil esse impossibile apud Deum. Nam quum animales essent spiritalia intelligere non poterant. Sed fatuitas quedam tam magnum sibi videtur mysterium: sed nos magnum quæso è peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysteriis adhibentes nunquam in tam sublimibus rebus illud Quomodo aut cogitemus aut proferamus. — aliorum igitur, ut diximus culpa perdocti, quum Deus operatur, non queramus quomodo, sed operis sui viam atq; scientiam illi soli concedamus. Videantur ejusdem libri IV capitâ XIV & XVI; & libri X caput XIII.

XXC. Cyrilli æqualis THEODORETUS fuit. hic Dial. II, qui inscribitur Inconfusus, ita loquentem facit Orthodoxum suum cum Eraniste: Eranistes: *Quid appellas donum, quod assertur ante inuocationem sacerdotis? Orthodoxus. Non oportet apertè dicere, est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos. Eran. respondeatur enigmaticè. Orth. Id quod fit ex huiusmodi seminibus*
nutri-

DE CORPORE ET

nutrimentum. Eran. aliud autem signum, quomodo nominamus? Orth. Commune etiam hoc nomen, quod potius speciem significat. Eran. post sanctificationem autem quomodo ea appellas? Orthod. Corpus Christi & sanguinem Christi. Eran. Et credis te fieri participem Christi corporis & sanguinis? Orth. Ita credo. — Orthod. Neq; signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantiâ & figurâ & formâ, & videri & tangi possunt, sicut & prius: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.

XXCI. PROCLVS Episcopus Constantinopolitanus in libro de Traditione diuinæ Liturgiæ docens, quomodo Apostoli Liturgiam prolixè decantarint, & in memoriâ habuerint illud verbum Domini, dicentis: *Hoc est corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem; & Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo: pergit ita: per has itaq; preces Spiritus sancti aduentum expectabant, ut eius diuina presentia propositum in sacrificium panem & vinum aquæ permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi efficiat. Qui quidem religiosus ritus obseruatur ad hoc usq; tempus, & ad finem usq; seculi manebit.*

XXCII. Hæc canæ & venerandæ Antiquitatis, priorum inquam à nato Seruatore quinq; seculorum, testimonia pauca damus è multis. subsequuta tempora testandi ergo adire nunc, si locus permitteret, abundantia tamen magis foret, quàm necessitatis. Constat, quantum satis est, eandem veteris & nostræ ecclesiæ de hoc mysterio fidem & doctrinam esse; eandem olim, quam hodie amamus & commendamus, circa illud seruatam fuisse simplicitatem. Secundum eam igitur incedamus porrò, & quod sanctus Brixienfis doctor

doctor monet, pariter vniuersa de sacramento isto quem admodum tradita credamus, non infringentes os ipsius illud solidissimum, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Si quid autem superfuerit etiam nunc in unicuiusq; sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concremetur.

Gaudentio
Tractat. 2.
in Exodum

XXCIII. Nemo profectò veterum corpus & sanguinem Domini in eo adesse negat, nemo abesse affirmat: omnes clamant adesse, accipi; imò panem mutari, quia videlicet ex vulgari pane fit panis, qui fit *κοινωνία* corporis Christi, hoc est, medium vel vehiculum, cum quo nobis corpus Christi communicatur. Hinc etiam dicunt, *Panem benedictum esse corpus Christi*, nempe quia ex Christi ipsius scito cum benedicto siue consecrato pane ita cōnectitur corpus, vt pane sumto ipsum quoq; sumatur, & proinde idem sit sumere hunc panem, & sumere corpus Christi. nam fieri non potest, vt sumto hoc pane non sumatur corpus Christi. Vnde etiam factum, vt nonnulli, quum arctissimum hunc nexum altiùs in animum demitterent, ad eum exprimendum dicerent *Panem conuerti in corpus Christi*, etiam si sit quod erat, vt Ambrosius, *nec recedat à suâ naturâ*, vt Theodoretus, *nec desinat esse substantia panis*, vt Gelasius loquitur; sed hanc solam, quam diximus, ob causam, quòd nequeat fieri, quin sumto pane Eucharistico sumatur corpus Christi.

XXCIV. Porrò quum alij animaduernerent, similitudinem esse inter panem & corpus Christi, propter alendi virtutem, quæ illi terrestris, huic cœlestis inest; panem dixerunt esse signum & figuram corporis Christi. Nempe animaduernerunt hoc mysterium ita esse comparatum, vt quod efficit, id itidem significare aptum sit. Hæc itaq; adsertio enascitur à posteriori,

G

vt

DE CORPORE ET

vt ita dicam; id est, quando perpenditur, quòd in Eucharistiâ nobis datur corpus Christi, & simul datur panis, qui suo quodam modo cœlestem nutriendi vim corpori Dominico insitam figurare aptus est. Sed hinc velut à priori ipsum totum mysterium æstimare velle, insuper habitis toties repetitis institutionis verbis, perspicuè quid præbeatur efferentibus, prorsus præposterum est.

XXCV. Panis equidem aptus est figurare vim pascendi animum, quæ multis aliis rebus inest, verbi gratiâ, suauitati sermonis, studio sapientiæ. Nemo tamen dicit ostenso pane, Hoc est suauitas orationis, vel studium sapientiæ: quamuis dicere comòdè possit, Elegans oratio est meus panis, Philosophia est cibus. Si verò à quopiam confici posset panis, quo comesto simul & semel ex beneplacito & libero decreto auctoris siue artificis menti comedentis vniuersa inderetur sapientia, tum rectè dici posset præbito pane, *Accipe, comede, hoc est sapientia*; quod scilicet dum comedet panem, eadem operâ sapientiæ compos sit futurus: præsertim si vnio & nexus ille non à rerum naturâ, sed ab arbitrio pendeat impertientis, vt in exemplo, quod modò fingimus, & in mysterio, quod explicamus. Vbi profectò verba *accipe, comede* tamquã conditiones capienda fuerint, nempe Si accipis & comedis, est sapientia. Si negligis accipere, non est quidem tum sapientia, quasi pani ea sit inclusa, vel citra eum alicui reapse comuni-
cetur; est tamen sapientia aliâ quadam ratione, quia videlicet ex arbitrio & decreto auctoris ita cohærent panis & sapientia, vt sumto pane non possis non particeps fieri sapientiæ. De hoc itaq; mirabili & istum in vsum destinato pane, etiamsi nemo adhuc vtatur, dici possit,
est sa-

SANGUINE Domini

est sapientia; quemadmodum de pane consecrato Patres enunciant, quod sit corpus Christi.

XXCVI. Iam si porro animaduertatur, panem & sapientiam in hoc conuenire, quod uti panis alimonia est corporis, ita sapientia cibus sit mentis; haut perperam de nostro isto pane enunciabitur, quod sit symbolum sapientiæ; non quidem quod contra hypothese fin cum eo sumto sapientia non communicetur, sed quod & sapientiam impertiat, & simul quid animo ea conferat, suâ sibi natiuâ nutriendi virtute adumbret. Quo ferè pacto & à posteriori, ut ita loquamur, siue è contemplationibus posteriùs institutis (prius enim est, adtendere quid præbeatur, nempe corpus Christi; posteriùs, animaduertere quod inter corpus Christi & panem, quî cum offertur, analogia intercedat) veteres nonnulli, oppidò tamen pauci, panem Eucharisticum figuram & signum corporis Christi dixerunt. Vide Tertullianum libro IV aduersus Marcionem, cap. XL; Augustinum aduersus Adimantum cap. XII.

XXCVII. Cæterum nemo priscorum, quemadmodum haut pridem monebamus, vel corpus Domini abesse ait, vel adesse negat. Idem si seriò & constanter & citra æquiocationem fecerint, qui Calviniani appellantur, Antiquitati honorem, quem debent, habebunt, curiositate non peccabunt, nec Scripturis vim facient, nec reducendis damnatis hæresibus viam muent. Quod ut tandem diuinâ gratiâ adjuti faciant, anxie exspectamus, speramus, optamus.

XXCVIII. Interea non debet nobis displicere, quod præfatione in librum De morte & vitâ æternâ scripsit eximius vir David Chytræus. Absit, ut ipsas ecclesias, principes aut populos alicubi dissentientes propterea à

condem-



DE CORPORE ET SANGVINE Domini

condemnem, aut condemnandos seu flammis & suppliciis obijci-
endos esse censeam. Video enim Paulum ipsum, etsi Galatarum
& Corinthiorum errores quosdam grauitate refellit & damnat:
tamen ecclesias Galatia & Corinthiorum propterea non condem-
nare, vel ethnicis persecutoribus trucidandas obijcere, sed nihi-
lominus amantissime complecti & fouere. Me certe, vero
pectore probare, & in aliis etiam requirere moderationem illam
& οὐρανὴν εὐαγγελίου erga gentium exterarum ecclesias, quam in pro-
oemio assertionis suae de cœnâ DOMINI praeceptor meus Paulus
Eberus declarat, DEVM, qui mentes & corda scrutatur, testem
appello. Itaque doleo tantâ acerbitate & virulentiâ multorum
odia aduersus docentes nostrae confessioni adiunctos, futilibus &
vanis hisce calumniis accendi, quod omnes exterarum Ecclesias,
Reges, principes, & populos, de Eucharistiâ dissentientes con-
demnent, & diabolo tradant, aut minus Turcis & Scythis fe-
rendos statuunt. Quae crudelia iudicia, ut in nullius pij & sani
hominis mentem venire arbitror, ita toto pectore semper dâ nauis
& abominatus sum. Sanctus Cyprianus de iis, qui aquam
loco vini in Eucharistiâ adhibebant, in hunc modum
loquitur: Quum neque ipse Apostolus, neque angelus de caelo annun-
ciare possit aliter aut docere, praeterquam quod SEMEL Christus
docuit, & Apostoli eius annunciauerunt; miror satis unde hoc u-
surpatum sit, ut contra Euangelicam & Apostolicam disciplinam
quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice. Subjun-
git tamen: Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel
simpliciter non hoc obseruauit & tenuit, quod nos Dominus facere
exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati eius de in-
dulgentiâ Domini uenia concedi. Quam ut multorum errantium
simplicitati ac imbecillitati benignè concedat, & tandem
omnes, ipsos quoque pertinaces in uiam reducat, Deum opti-
max. serio precamur. Hic esto finis: nobis defendendae ue-
ritatis *ἡ ἀληθὴς ἐκκλησία*; ecclesiae tranquillitas & con-
cordia; Iesu Christo gloria. Amen.

F I N I S.

epist. 63.
num. 7.



BRANDANO DÆTRIO
amico suo.



*T*nihil in terris subsistit robore tanto,
Quin vinci majore queat vel frangier
ausu:

*Sic obices reperit humana audacia men-
tis*

*Ingeniosa licet, validoque retunditur ictu.
Quid magis terribile est, quam quum magnū mare seuit
Fluctibus iratis? tamen hoc parere necesse est
Molibus objectis, atque in sua regna reuerti,
Sic quoque prospiciens, quantā prurigine mentis
Vexaretur homo, quantāque cupidine pugnae
Sincerae fidei sacras inuaderet arces,
Omnipotens pater audaces quae frangere possint
Conatus, veri argumenta, obstacula magna
Opposuit, tenuesque suas cognoscere vires;
Qui tantae molis versant molimina, iussit.
Et licet hinc possint, quam sit sibi curta supellex
Discere, quasque gerunt moniti deponere cristas,
Quin etiam in tantā caecae caligine mentis
Desinere intimiora arcana irrumperae caeli,
Quum vix terrenis se plenā lucē videndum*

Offerat




Offerat in rebus mersum alto gurgite verum:
Desipiunt tamen, & tumido prudentia fastu
Vincitur: hinc animum fœdis erroribus implent.
Non, BRANDANE, tibi mens tali imbuta veneno est:
Quin quæ perpetuo vigiliq; labore parasti,
Non prius in medium profers, quàm ritè Magistri
Doctoresq; tui penetrarint iudicis aures.
Nos, tibi quos jungit studiis communibus ætas,
Passibus haud æquis te ponè sequamur oportet;
Exemplumq; tuum similes animabit in ausus.


Hermannus Gokenhold
Brunsvic.




INDEX Disputationum Theologicarum
quae sub Praesidio Clariss. et Doctiss.
G. Georgii Calixti P. P. Helmstadii
habita sunt.

- 1 De Communionis sub utraque specie
- 2 De Perfecte summo bono liber unus
- 3 De Gratia per fidem justificatione
- 4 De Corpore et Sanguine Christi
- 5 De Sacra scriptura
- 6 De Sacrificio Christi. 1
- 7 De Sacrificio Christi. 2
- 8 De Sacrificio Christi. 3
- 9 De Autoritate antiquitatis Ecclesiasticae
- 10 De Haeresi Nestoriana
- 11 De Baptismo
- 12 De Purgatorio
- 13 De Visibili Ecclesiastica Monarchia 1
- 14 De Visibili Ecclesiastica Monarchia 2
- 15 De Transsubstantiatione







445


ULB Halle 3
004 356 08X


f

sb.

VD 17





Farbkarte #13

B.I.G.

THESES
CORPORE
ANGVINE DOMINI
SE PRÆSENTIBVS IN
NCTISSIMA EVCHA-
RISTIA,

QUAS
MI NUMINIS ADSPI-
RANTE GRATIA
SVB PRÆSIDIO

RGII CALIXTI
THEOL. D. ET PROF.
IE PRORECTORIS
BLICE IN ACAD. IVLIA
APRIL. DISPVTANDAS
PROPONIT
NDANVS DÆTRIVS
HAMBVRGENSIS.

Helmæstadij,
APHEO CALIXTINO EXCVDIT
ENNINGVS MULLERVS.

CID IDC XXXVI.

270

4

